

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Tempore argumentum aliud. Nam adhortari te ad studia, quod sæpe alias feci, nō ualde opus est: cum enim uideam ultrò te incitatum amore optimarum artium, gratulari tibi magis deo, ac bene precari. Bene uale. Anno 1533.

Eidem.

Reddidit mihi literas tuas, charissime Christophore, cōmunis noster adfinis Ambrosius Reuter: & gaudeo fuisse nostras literas tam gratas & acceptas tibi. Deinde intelligo, etiam meam admonitionem utilem & salutarem uideri: id quod maxime ego & cupiui cum scriberem, ac etiam nunc cupio: ac oro Dominum, ut cursum tui studij feliciter dirigat. Plura nunc non licuit: nam festinabat nuncius abiens: & ipse scriptitando sedebam occupatus. Boni consulas oro, aliàs plura. Parenti tuo optimo uiro dices, me daturum operam, ut animo suo satisfiat, idq; breui. Nam hodie uno libro absoluto, liberior ero. Saluta simul quoque matrem tuam honestissimam, unà cum fratre, & omnibus tuis socialibus. Bene uale.

Eidem.

Mihi uerò his turbulentis temporibus non nihil afferunt solatij studia bonorum iuuenum, quorum uirtute atq; industria (ut spero) literæ, quo conti-

nent honestas artes et Reipub. necessarias cōserua-
 buntur, & ad posteritatē propagari poterūt. Ita-
 que libenter uidi profectus tui specimen, mi Chri-
 stophore: ac precor Christū, ut studijs tuis faueat,
 eaq; gubernet. Tuum etiam erit, hunc cursum ur-
 gere: quod ut facias, hortari tum patris autoritas,
 tum ipsa Respublica debet, ad quam certē studia ue-
 stra pertinet. Deniq; inuitabit te etiam ipsa doctri-
 nę suauitas: quam nulla ex re maiorem quā ex i-
 psa doctrina, animus percipere potest. Quod ad
 me attinet, gratū mihi feceris, si hoc officij genere
 amicitiam inter nos constitutam alere atq; confir-
 mare studebis. Quare dabis operam, ut sæpe ad me
 scribas. Isocrates inquit honestum esse, paternas a-
 micitias ueluti patrimonij partem conseruare. Scis
 autem, quę mihi cum patre tuo, uiro optimo, ami-
 citia sit multis iam annis, quem profectō propter
 fidem & ingenium, magis quā propter fortunę
 ornamenta, amo & obseruo. Bene uale.

Eidem.

Valde probo studium & conatum tuum in fa-
 ciendis uersibus. Nam hæc exercitatio colorabit
 etiam solutam orationē tuam, idq; breui senties i-
 pse. Deinde ut alię Musicę partes suauissimę sunt,
 ita plurimum habet hæc harmonia uersuum uolu-
 ptatis: & est signum minimē fallax, probę & in-
 genuę